

*Dist. maior.*: Assensus tanquam actus (subiective) — conc.; assensus in obiectum (obiective) subd.: ratio formalis adaequata — conc.; ratio inadaequata — nego.

*Dist. min.*: Assensus ut actus — conc.; ut repraesentatio obiecti, subd.: ratio adaequata — nego; ratio inadaequata — conc. Ratio enim formalis extrinseca cognitionis est obiectum, cui mens tanquam suo exemplari conformatur cognoscendo per speciem expressam; et haec potest vocari ratio formalis nobis *intrinsicca*. Utraque autem et extrinseca et intrinsicca ad cognitionem nostram requiritur.

2. Atqui ratio adaequata assensus in obiectum debet esse nobis intrinsicca ac proinde etiam criterium; nam criterium habet nexum necessarium et infallibilem cum veritate. Atqui obiecta sunt contingentia (Kantii iudicia synthetica a priori). Ergo criterium non potest esse in obiecto.

*Respondeo* 1<sup>o</sup> Etiam subiectum cognoscens eiusque actus est contingens. Ergo?!

2<sup>o</sup> *Dist. maior.*: nexus ille criterii cum veritate est necessarius et infallibilis vel absolute sive antecederet, vel saltem hypotheticae et consequenter — conc.; semper absolute et antecederet — nego.

*Dist. min.*: Obiecta cognita sunt contingentia, dist.: omnia — nego; multa — subd.: quoad essentiam — nego; quoad existentiam, iterum dist.: non sunt absolute et antecederet necessaria — conc.; neque saltem hypotheticae et consequenter — nego.

3. Atqui nexus ille necessarius et infallibilis criterii cum veritate debet esse absolutus et antecederet, quia criterium ut motivum et causa certitudinis debet eam praecedere; dist.: ratione obiecti (evidentia obiectiva) — conc.; ratione subiecti cognoscentis (evidentia subiectiva), subd.: si criterium esset veritas realiter distincta ab ea, quam certam reddit — conc.; cum non realiter differat — nego.

4. Atqui illa necessitas assensus non est obiectiva, sed subiectiva; nam praesente veritate sentimus necessitatem assentiendi; dist.: obiectivam et simul subiectivam — conc.; solum subiectivam — nego.

5. Atqui est mere subiectiva; nam saepe firmiter assentimur, quin adsit vel cognoscatur necessitas obiectiva, dist.: quin adsit necessitas obiectiva intrinsicca — conc.; quin adsit ulla, i. e. ne extrinseca quidem necessitas, subd.: et tunc assensus firmus est prudens et legitimus — nego; est imprudens — conc.

6. Atqui assensus non praestatur propter necessitatem ullam obiectivam; nam recte Cartesius affirmare videtur nos non certos esse de ulla re nisi adsit clara et distincta perceptio, quae non pendet nisi ab ideis nostris, dist.: subiective spectatis — nego; obiective spectatis — conc.

7. Atqui non pendet nisi ab ideis nostris subiective spectatis: nam conscientia non refert nisi ideas subiective spectatas, et conscientia est fundamentum certitudinis, dist.: est eius conditio — conc.; est eius causa et criterium veritatis — nego.)

## Caput II: De evidentia, criterio ultimo, in specie.

### § 1. Natura et species evidentiae.

1. *Notio et natura evidentiae*<sup>1)</sup>: Evidentia (ἐνάργεια) primarie significat rei sensibilis claram visibilitatem, unde transfertur ad veritates immateriales et significat veritatis intelligibilitatem nobis manifestam, quasi eius splendorem. Evidentia igitur per se et primarie obiectum afficit. Certitudo autem, quae est effectus evidentiae, primarie subiectum cognoscens afficit. (Quod etiam usu loquendi manifestatur; neque enim dici potest: ego sum evidens, vel mens vel conceptus vel iudicium ut actus est evidens, sed veritas ipsa cognita est evidens. Addit autem evidentia ad veritatem obiectivam claram eius manifestationem, et per hoc distinguitur a certitudine mere obiectiva rei, quae non significat nisi necessitatem rei in se. Haec igitur evidentia vocatur *obiectiva*. Quando autem veritas menti manifeste apparet, gignitur in nobis clara rei perceptio, et haec vocatur per analogiam *evidentia subiectiva*. Evidentia autem subiectiva excludit omnem erroris formidinem et gignit certitudinem subiectivam.<sup>2)</sup>)

2. *Species evidentiae*: a) *ratione motivi*: Cum rationes seu motiva, quibus veritas nobis manifestatur, possint esse metaphysica, physica vel moralia, etiam evidentia potest distingui sicut certitudo, quae est eius effectus seu manifestatio: *metaphysica, physica, moralis*. b) *Ratione medii* evidentia dividitur in *immediatam*, si veritas menti per se ipsam apparet, et *mediatam*, si termino medio manifestatur; c) *ratione naturae* in *intrinsiccam*, si evidentia ex comparatione ipsa idearum subiecti et praedicati oritur, ut in iudiciis analyticis immediatis vel mediatis; et *extrinsiccam*, si oritur ex experientia sive auctoritate, uti fit in iudiciis syntheticis immediatis vel mediatis; d) *ratione status* in *necessariam*, quando veritas ipsa apparens mentem physice determinat ad assensum, sicut fit in iudiciis analyticis et syntheticis *immediatis* experientiae; et *liberam*, quando veritas non in se, sed in signo positivo vel negativo apparet, quod locum habet, quando adest evidentia extrinseca, e. g. in auctoritate. Libertas igitur assensus si adest, evidentia vel certitudo libera non solum in causa i. e. in libera reflexione<sup>3)</sup>, sed in ipso actu quoque invenitur, qui a voluntate imperatur ac proinde meritum habet vel demeritum. (Cfr. supra pag. 126 sq.)

<sup>1)</sup> Cfr. Wundt, Logik, 1893, I, 81 sq. <sup>2)</sup> Cfr. supra p. 122.

<sup>3)</sup> Frick, Logica, nn. 435 et 438 (ed. III, 1902), non admittit liberam seu "liberam imprudentis dubitationis" evidentiam nisi in causa sc. in quantum

## § 2. De Evidentia ultimo veritatis criterio.

*Thesis XXIII: Evidentia obiectiva est criterium universale veritatis et ultimum motivum certitudinis.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Evidentia ut criterium non est veritas quaedam superaddita illi quam manifestat, ita ut novus actus cognitionis ad eam percipiendam requiratur. Neque est criterium realiter distinctum ab aliis particularibus, sed est eorum fundamentum commune. (Neque est principium aliquod distinctum a primis principiis, licet possit ad modum principii exprimi: „Quod evidens est, verum est.“ Si evidentia hoc modo ut principium profertur, sicut veritates generales, tunc et ipsa iterum requirit criterium, quod non est aliud nisi ipsa evidentia.) Haec igitur non est nisi conditio vel modus ipsius veritatis seu vis ei intrinseca, qua menti sese manifestat; neque solum

requiritur mentis applicatio ad motiva assensus in cognitione mediata perpendenda. Patet, hoc modo omnem assensum posse esse liberum etiam in veritatibus per se evidentibus, siquidem requiritur saepe voluntatis determinatio, ut mens sese convertat ad eas intuendas. Auctor igitur non distinguit inter assensum physice et solum logice necessarium, neque ratio adducta: „esset enim intellectus indifferens ad verum“, videtur probare, quum intellectus ut facultas necessaria in tantum assentiatur, in quantum determinatur ab obiecto; quodsi illud in se apparet, intellectum physice determinat; si autem in signo apparet, solum logice determinat; unde determinatio physica a voluntate accedere debet. Auctor ipse (n. 438) fatetur, motivum metaphysicum simpliciter necessitare, non autem motivum physicum vel morale, quando explicite ut hypotheticum cognoscitur. Iam vero tunc aut dicendum, non esse veram certitudinem physicam et moralem, si quidem non adesset evidentia, quae sola necessitat mentem, aut concedendum est, evidentiam physicam vel moralem non semper physice, sed logice necessitare. Potius igitur sentimus cum Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*, IV, n. 219 et 413; Lehmen, *Lehrb. d. Philos.* 2, I, p. 284; Pesch, *Instit. log.* I, 146, 578 sq.; Gutberlet, *Lehrbuch der Apologetik*, 1888, II, 288; porro *Erkenntnisstheorie*, 1892<sup>2</sup>, p. 257 sq. aliisque multis.

Neque iure G. Schmitt (*Vernunft u. Wille etc.* cfr. supra p. 130) liberam certitudinem et evidentiam omnino negare videtur argumentans: Certitudo vel evidentia est proprietas mentis. Atqui mens nostra est facultas necessaria. Ergo non potest esse libera certitudo sive evidentia. Facile enim et maior et minor distinguitur: Certitudo est proprietas mentis; dist.: formaliter — conc.; causaliter, subd.: quando actus cognitionis a solo obiecto determinatur — conc.; quando vel a sola voluntate vel potius ab obiecto et voluntate simul determinatur — nego. Atqui mens est facultas necessaria; dist.: quoad actus specificationem i. e. eius obiectum — conc.; quoad eius exercitium, subd.: quando actus per solum obiectum determinatur — conc.; quando ab obiecto et voluntate simul determinatur — nego. Cfr. supra p. 127. Voluntatem autem posse assensum saltem subiective firmum mentis determinare, patet ex assensu in errorem, qui, quum ab ipso obiecto vero non possit esse ortus, tandem voluntatis influxui tribuendus est (cfr. supra p. 127). A fortiori igitur voluntas mentem determinare potest, quando verum apparet non quidem in se, sed in signo suo, sive assensum simpliciter imperat, sive firmiorem reddit

in cognitione philosophica, sed in omni cognitione naturaliter certa adest, saltem implicite et fundamentaliter.<sup>1)</sup>

2<sup>o</sup> Quum evidentia in nobis gignat certitudinem, patet eam, si est ultimum veritatis criterium, esse etiam ultimum motivum certitudinis. Sufficit igitur probare, evidentiam obiectivam esse criterium veritatis ultimum et infallibile.

I. *Evidentia obiectiva est veritatis criterium ultimum.*

*Prob. 1. Ex natura criterii ultimi:* Criterium veritatis ultimum debet esse infallibile, universale, obiectivum, et simul subiectivum. Atqui evidentia obiectiva a) est semper cum veritate coniuncta ac proinde *infallibilis*; est enim ipsa veritas manifeste apparens; b) invenitur in *omni* cognitione certa; ergo est *universalis*. Neque enim potest esse certa cognitio, quin veritas menti manifestetur rationibus vel metaphysicis vel physicis vel moralibus, immediate vel mediate, intrinsece vel extrinsece, cum necessitate obiectiva saltem logica. Haec autem manifestatio clara veritatis est ipsa evidentia. Deinde evidentia non indiget ulteriore probatione, quia non est veritas realiter distincta ab illa quam manifestat, sed est eius ipsius vis sese manifestandi motivis certis. c) Est criterium *obiectivum*, quia primo obiectum ipsum afficit eiusque est manifestatio, ac proinde est immutabile sicut ipsa veritas in se, et semper idem pro omnibus hominibus, ita ut obiectum fiat mensura et norma cognitionis nostrae. d) Denique est simul criterium *subiectivum*, quia evidentia obiectiva, i. e. clara rei manifestatio in mente gignit evidentiam subiectivam ac proinde claram rei perceptionem omnemque expellit timorem erroris.

Ergo evidentia obiectiva est ultimum veritatis criterium. Vidimus autem alia non esse criteria ultima; ergo est etiam solum criterium ultimum. (Unde iure S. Augustinus: „Omnia, quae de hac luce mentis nunc a me dicta sunt, nulla alia quam eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse, quae dicta sunt, et haec me intelligere per hanc rursus intelligo.“<sup>2)</sup>)

2. *Ex natura criteriorum particularium:* Evidentia est criterium ultimum, si criteria particularia illud supponunt atque inde vim suam hauriunt. Atqui res ita se habet; nam teste conscientia nostra et experientia aliorum, si quis interrogatur, cur testimonio conscientiae

<sup>1)</sup> Quae si bene expendantur, difficultates evanescent, quas C. Th. Isenkrahe (*Phil. Jahrb.* 1897, p. 339 sq.), Schiltz (*Summa philos.* I, 87 sq.), Lorenzelli (*Philos. theor. inst.* I, 146 sq.) movent. <sup>2)</sup> De vera relig. c. 49. — Consentiant nobis in hac quaestione nonnulli philosophi moderni non scholastici ut Grotenfeld, Volkelt etc.; cfr. Lehmen, l. c. p. 262. Cfr. S. Thom. Sent. III, dist. 23, qu. 1. a 2: „Certitudo, quae est in scientia et intellectu, est ex ipsa evidentia eorum quae certa dicuntur.“

confidat, respondet, quia manifeste apparet rem ita esse, ut conscientia docet, neque aliter se habere posse. Cur sensibus confidis, cur intellectui, rationi, cur auctoritati? Quia evidens est, facultates rite dispositas obiecto clare sese manifestante non posse nos fallere. Ergo evidentia est criterium ultimum veritatis.

(3. *Per exclusionem*: Si evidentia non est criterium ultimum veritatis, nullum existit. Atqui hoc repugnat. Ergo evidentia est criterium ultimum.

*Probo maior*: Criterium aliquod esse et ultimum esse, aut ex se est evidens, aut non. Si primum, patet, evidentiam ipsam esse criterium; si autem alterum, aliunde probandum est. Iam vero si probari non potest, tunc nullum erit criterium veritatis ac proinde nulla certitudo, quod repugnat; si vero probatur, ratio probans iterum aut ex se evidens est, aut aliunde est probanda, ac proinde eadem quaestio recurrit in infinitum, quod impossibile est. Ergo vel sistendum est in evidentia, quae non eget probatione, vel nullum existit ultimum criterium, ac proinde quum particularia aliud commune supponant, nullum erit criterium veritatis.

*Probo minor*: Si nullum veritatis criterium existit, neque ulla erit certitudo, nulla scientia, nulla veritas. Atqui hic scepticismus universalis omnino repugnat. Ergo existit criterium veritatis et per consequens etiam ultimum criterium

Nota, hanc partem thesis per se probari non posse, cum omnis probatio, ut sit vera et certa, supponat criterium iam in praemissis. Neque vero indiget probatione, cum duo hi conceptus: evidens et formaliter certum et verum, re idem significant. Unde argumentum est contra illos, qui admittunt quidem certitudinem, non tamen evidentiam tanquam criterium ultimum et infallibile.)

## II. Evidentia est criterium veritatis infallibile.

*Prob. 1. Ex natura evidentiae*: Evidentia est rei ipsius necessitas menti manifeste apparens. Atqui rei ipsius necessitas menti manifeste apparens non potest fallere. Ergo evidentia est criterium infallibile. *Maior* patet; est enim definitio evidentiae obiectivae.

*Probo minor*: Si res ipsa menti manifeste apparens posset decipere, dicendum esset: a) vel rem non id esse quod revera est, vel non eo modo se manifestare, quo revera se manifestat, quod repugnat principio contradictionis, primo principio; b) vel mentem non percipere rem rite sibi propositam, quod repugnat naturae mentis, i. e. primae conditioni; c) vel nobis videri percipere, quod revera non percipimus, quod veracitati conscientiae repugnat, i. e. primo facto.<sup>1)</sup> Recte Cicero: „Ut necesse est, lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere.“<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. supra p. 138 sq. <sup>2)</sup> Cicero, Acad. II, c. 12—15.

2. *Ex natura criteriorum particularium*: Fontes cognitionis sunt simul criteria particularia et veram certamque praestant cognitionem, si conditiones requisitae adsunt. Atqui haec criteria particularia supponunt evidentiam indeque vim suam trahunt.<sup>1)</sup> Ergo evidentia a fortiori est criterium infallibile.

(*Coroll. I.* Quidquid igitur evidens est, etiam verum est, et quidquid certum est saltem naturaliter, etiam evidens est. Neque vero evidens et verum pro nobis converti possunt. Veritas enim in se obiective infinita est, nostra autem veri cognitio admodum restricta.

II. Cum evidentia possit esse intrinseca et extrinseca, omnis veritas nobis certo revelata admittenda est, quamvis eam comprehendere nequeamus; sufficit enim evidentia extrinseca, i. e. nexus certus et evidens veritatis cum auctoritate revelantis, ut certum assensum praestare valeamus. Quemadmodum igitur homines indocti veritates, e. g. mathematicas vel physicas credunt doctis in his disciplinis, licet nullo modo intelligant, ita Deo credendum est, si mysteria revelat nobis incomprehensibilia.

## Difficultates contra evidentiam:

### 1. Ut criterium:

*Obi. 1.* Si evidentia esset criterium veritatis certae, deberet praecedere cognitionem certam tanquam eius norma et mensura. Atqui non praecedit cognitionem certam. Ergo evidentia non est criterium cognitionis certae.

*Dist. maior*: Si evidentia esset norma externa, ut mensura metri, qua extensio aliqua mensuratur<sup>2)</sup> — conc.; quum sit norma ipsi cognitioni intrinseca, subd.: debet eam praecedere natura — conc.; tempore — nego.

*Dist. minor*: Evidentia non praecedit cognitionem certam tanquam norma externa conc.; est norma ipsi cognitioni interna, subd.; tempore praecedens eam — nego; natura — conc.

2. Atqui neque naturam praecedit cognitionem certam; nam evidentia est effectus cognitionis certae<sup>3)</sup>; dist.: evidentia obiectiva — nego; subiectiva, subd.: est effectus proprie dictus — nego; est affectus, i. e. modus ipsius actus cognitionis, cuius causa est evidentia obiectiva — conc.

3. Atqui evidentia obiectiva nullo modo praecedit cognitionem certam saltem directam, naturalem ac proinde neque praecedit cognitionem philosophicam reflexam, quae supponit directam. Nam conscientia testatur, nos nullo modo propter evidentiam assentiri, sed propter directam rei in se perceptionem et propter veracitatem facultatis cognoscentis; dist.: I partem: conscientia testatur, nos non propter evidentiam assentiri tanquam normam externam seu veritatem ab illa quam directe cognoscimus distinctam — conc.; non enim

<sup>1)</sup> Quisquis igitur admittit, facultatem nostram cognoscendi tanquam criterium „per quod“, et quidem certum, debet etiam concedere evidentiam tanquam criterium „secundum quod“ et quidem certissimum, quia in hoc criterio particularia fundantur. (Vide Phil. Jahrb. l. c. p. 340 et 431).

<sup>2)</sup> Idem dicendum est de regula fidei externa, quae distincta est a motivo fidei, quod est norma interna; vide Frick, Critica, p. 294 n. 440.

<sup>3)</sup> Cfr. Lorenzelli, Phil. theor. inst. 1896<sup>2</sup>, I, p. 146. Cfr. Wohlmut, Lehrb. d. Philos. v. Stöckl 1905, I, 418, Ann. 1.

fit argumentatio: evidens est verum; atqui haec evidentia adest; ergo adest certa veritas. Conscientia testatur nos non propter evidentiam assentiri tanquam normam intrinsecam, subd.: explicite semper et distincte cognitam — trans.; neque implicite et confuse cognitam — nego.

*Dist.* II partem: assentimur propter rei perceptionem seu facultatis veracitatem tanquam criterium *proximum* explicite et *distincte* cognitum — conc.; tanquam criterium *ultimum* et *implicite* apprehensum — nego.

4. Atqui criterium evidentiae neque implicite apprehenditur; nam tunc requireretur novus actus cognitionis; dist.: si criterium evidentiae esset realiter distinctum a criteriis proximis, particularibus, neque simul cum ipsis cognosceretur — conc.; cum sit realiter idem, sola ratione distinctum et simul apprehendatur — nego.

5. Atqui tunc criterium evidentiae superfluum et inutile esse videtur, siquidem proximum sufficit; dist.: sufficit ad cognitionem perfecte reflexam philosophicam — nego; ad cognitionem naturalem, subd.: proxime et inadaequate — trans.; fundamentaliter et adaequate — nego; nam criterium proximum, particulare vim suam habet ex ultimo, sicut aedificium nititur fundamento saepe invisibili; ex hoc vero non sequitur, fundamentum non necessarium esse aedificio.<sup>1)</sup>

## II. Ut criterium ultimum:

6. Atqui evidentia non est ultimum criterium; nam

Illud est criterium ultimum veritatis, quo sublato omnis veritas et certitudo perit.

Atqui omnis veritas et certitudo perit sublato principio contradictionis. Ergo hoc principium est ultimum veritatis criterium (Kant).

*Resp.* 1<sup>o</sup> Eodem argumento posset probari, etiam conscientiam vel intellectum vel ideas esse ultimum criterium.

2<sup>o</sup> *Dist. maior*: quo sublato certitudo *formaliter* perit — conc.; *fundamentaliter* — nego; eodem modo distingue minorem.

7. Atqui sufficit, ut principium contradictionis sit fundamentum omnis cognitionis; nam fundamentum prius cognoscitur. Atqui haec cognitio debet habere criterium veritatis suae in se ipsa. Ergo principium contradictionis ut fundamentum omnis cognitionis constituit etiam criterium ultimum.

*Dist. maior*: Prius cognoscitur explicite vel implicite — conc.; semper explicite — nego.

*Dist. minor*: Criterium simul cum prima cognitione certa cognoscitur — conc.; ipsa illa prima cognitio debet esse criterium — nego.

8. Atqui illud principium contradictionis debet esse criterium ultimum, quia est ultima ratio assensus; dist.: ultima ratio ontologica — conc.; logica — nego.

9. Atque neque evidentia est ultima ratio logica assensus, quia principium evidentiae: Omne evidens est verum, non est evidens; nam praedicatum:

<sup>1)</sup> Ad difficultates 1—5, vide Phil. Jahrb. 1897, p. 344.

verum = conforme obiecto non est idem quod subiectum: evidens = clare perceptum.<sup>1)</sup>

*Resp.* 1<sup>o</sup> Principium evidentiae non est evidens: nego suppositum; nam principium evidentiae non est ipsum criterium evidentiae; hoc enim realiter idem est quod ipsa veritas, quam certam reddit.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Dist.*: praedicatum non est idem quod subiectum rite interpretatum: evidens = *obiectum* manifeste apparens ac proinde mentem percipientem sibi conformans — nego; praedicatum non est idem quod subiectum modo Cartesiano prorsus subiective (clara idea) interpretatum — conc.; sed nego suppositum: evidentiam esse mere subiectivam.

10. Atqui evidentia non est ultima ratio logica certitudinis, quia multa sunt certa, quae non sunt evidentia, dist.: neque intrinsece neque extrinsece evidentia — nego; non semper intrinsece evidentia — conc.

11. Atqui multa sunt certa, quae nullo modo sunt evidentia, e. g. mysteria fidei<sup>2)</sup>, dist.: nulla adest evidentia saltem extrinseca neque praecedens neque concomitans actum fidei certissimum in praeambulis fidei et motivis credibilitatis — nego; assensus fidei supra omnia firmus non praestatur propter evidentiam naturalem in se semper finitam — conc. (cfr. supra p. 128 sq.).

## III. Ut criterium infallibile:

12. Atqui evidentia saltem non est *infallibile* criterium; nam multi dicunt, ipsis esse evidens, quod tamen est falsum; ergo evidentia potest esse falsa; dist.: evidentia mere subiectiva: instinctus Reidii, vel fides Iacobi, vel clara idea Cartesii etc. — conc.; evidentia obiectiva simul et subiectiva — nego.

13. Atqui ut possim distinguere veram evidentiam a falsa, aliud criterium ac proinde ulterius adhibendum est<sup>3)</sup>; dist.: debito modo examinandum est, num in hoc casu adsit evidentia obiectiva — conc.; debet adhiberi aliud criterium — nego. Sic ut aliquis discernat, utrum sol luceat an luna, non requiritur, ut aliud lumen, e. g. stellarum adhibeatur, sed sufficit ipsum lumen solis vel lunae, modo oculus debito modo applicetur. Ita constat evidentiam adesse, si obiectum modo debito proponitur, mens bene disposita est et medium cognitionis est ordinarium.

14. Atqui ut constet saltem de debito examine vel conditionibus requisitis, alia cognitio ac proinde aliud criterium adhibendum est;<sup>4)</sup> dist.: si ratio prudens dubitandi non adest — nego; si adest — subd.: et hoc iterum per evidentiam diiudicatur — conc.; aliud criterium ulterius adhibetur — nego. Duplex quaestio distinguenda est: 1<sup>o</sup> evidentia numquid est criterium veritatis; 2<sup>o</sup> adestne hic et nunc evidentia? Ad quaestionem secundam diiudi-

<sup>1)</sup> Balmes, Fundamenta I, 178, 192; Lehrbuch, 134; Philos. Jahrb. 1894, p. 415. Cfr. Mercier, Critériologie, 1899, p. 203. <sup>2)</sup> Cfr. Lorenzelli, l. c. <sup>3)</sup> l. c. <sup>4)</sup> l. c. Neque textus, qui ibidem ex s. Thoma et Aristotele adducuntur, thesim nostram refutant, quia auctores citatis locis loquuntur de causa *ontologica* ipsius veritatis obiectivae, non de causa obiectiva simulque subiectiva *cognitionis nostrae scientificae*, unde eorum testimonia eodem iure ad thesim nostram confirmandam adhiberi possent; idem dicendum de Remer, Summa prael. I. p. 170 sq.

candam status normalis et attentio mentis sufficiunt; alioquin in infinitum eundem esset ac proinde nulla esset certitudo, idemque de certitudine obiectiva et subiectiva dici posset. Illa igitur inquisitio est *conditio manifestans evidentiam*, non autem *constituens*.

15. Atqui tunc mens infallibilis fieret et mensura veritatis, dist.: per se et ex se — nego; participative, subd.: quando adest evidentia — conc.; quando non adest — nego.

16. Atqui homo fieret mensura veritatis et infallibilis per se et semper; nam evidens esse verum, nil aliud significat, nisi: quidquid ego clare video, verum est; quidquid non clare video, verum non est; dist.: quidquid in *obiecto* clare percipio, verum est — conc.; quidquid in me, i. e. mere subiective clare video, verum est — nego.<sup>1)</sup>

Divina cognitio sola est per se infallibilis et est exemplar omnium rerum, resque ideo habent ontologicam veritatem, quia sunt conformes divino intellectui. Sed aliud dicendum est de nostra cognitione. Nos enim non cognoscimus res, nisi in quantum nos determinant, et veritas cognitionis nostrae in eo est, ut sit obiecto conformis, quod eius est mensura et norma; neque alio modo ad Dei cognitionem ascendimus, nisi cognoscendo ideas divinas eiusque perfectiones in rebus creatis tanquam in speculo relucentes.

<sup>1)</sup> Ad difficultates 12—16 cfr. Th. Isenkrahe, Phil. Jahrb. 1897, p. 439.

## (Pars secunda: Ideologia.

*Notio et divisio:* Vidimus, quinque esse fontes, ex quibus omnes nostras cognitiones haurimus. Iam vero patet, fontem qui omnes alios quodammodo in se complectitur eosque supponit, esse ideas nostras easque primitivas. Id enim quod primo in mente nostra efficitur, est simplex apprehensio, cuius terminus est idea primitiva (cfr. dial. p. 15 sq.) Ideae autem factitiae, ex primitivis formatae, earum valorem supponunt ab eis prorsus dependent. Unde quaestio de veritate materiali cognitionis nostrae potissimum pendet ex valore *idearum* primitivarum. Jure igitur dicit s. Augustinus: „Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi his intellectis nemo sapiens esse possit.“<sup>1)</sup> De quo ut constet, expedire videtur, ut inquiramus: I. quae sit *origo* illarum idearum, II. quae sit earum *natura*, III. quod earum sit *obiectum*. — Notandum est, non agi de ideis subiective spectatis, in quantum sunt affectio mentis, neque de specie intelligibili impressa sive expressa; sed agitur de ideis primitivis *obiective* spectatis, in quantum obiectum reale a nobis distinctum exprimunt. Quod cum thes. II et XVII in genere sit probatum, nunc in specie est exponendum.

### Liber primus: Origo idearum.

*Praenotio:* Triplici modo *per se* origo idearum explicari posset: 1<sup>o</sup> ita ut mere *ab extra* in nobis efficerentur; 2<sup>o</sup> ita ut prorsus *ab intra* in nobis orirentur; 3<sup>o</sup> ita ut *simul ab extra et ab intra*, i. e. simul ab obiecto et ab animae nostrae virtute producerentur. Et revera fuerunt et sunt philosophi, qui ideas nostras a causa nobis mere extranea derivent et quidem a) vel prorsus ab experientia sensuum, ut earum certitudo habeatur; b) vel ab institutione sive humana, sive divina, ut earum obiectivitatem salvent; c) vel ab intuitionem divinae naturae, ut earum necessitas et universalitas explicetur. Alii vero ideas vel omnes vel praecipuas repetebant ab animae nostrae virtute et quidem ita, ut a) vel ideas innatas statuerent; vel b) animae solius activitati tribuerent. Alii tandem — et est vera sententia, quam defendimus cum philosophia Aristotelica et

<sup>1)</sup> De 83 quaest. qu. 46.